

*56. Instrumentum venditionis di
Giovanna fu Pietro de Lacupensuli
in favore di Angelo de Dyano*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*56. Instrumentum venditionis di
Giovanna fu Pietro de Lacupensuli
in favore di Angelo de Dyano*

1356-05-22

(c. 120r) In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno eius nativitatis millesimo tricentesimo quinquagesimo sexto, regnantibus dominis nostris domino Lodovico et domina Ioanna Dei gratia Hierusalem et Sicilie rege et regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitibus, regnorum vero dicti domini nostri regis anno octavo et prefate domine nostre regine anno quarto decimo feliciter amen, die vicesimo secundo mensis maii, none indictionis, apud Potentiam.

Nos Girardus de Camiba de Potentia annalis iudex dicte terre Potentie, Angelus de Bonopari puplicus eiusdem terre notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico notumfacimus // (c. 120v) et testamur quod constituta in nostri presentia Ioanna mulier, filia quondam Petri de Racupensili de Potentia, more <sic> iure Romano vivens, sicut ceteri homines et mulieres dicte terre Potentie ab antiquo vixerunt et vivunt, alienavit, vendidit, tradidit et per fustem assignavit iure proprio inperpetuum presbitero Angelo de Dyano, archipresbitero ecclesie Sancti Michaelis de eadem terra Potentie, ibidem presenti, pro se suisque heredibus recipienti et ementi, medietatem p(ar)tis sue pro indiviso terrarum suarum sitam in tenimento dicte terre Potentie in contrata de Lava(n)tis, quam habet predicta Ioanna venditrix pro indiviso cum herede quondam Andre# de Lacupensuli de predicta terra Potentie, suis finibus circumdatam, ut predicti contrahentes dixerunt; quarum ab una parte tenent ecclesia Sancte Marie de Vandito, heredes quondam Ricardi de Rao et Bartholomeus de Automundo mediantibus limitibus comunibus; a secunda parte

tenent heredes quondam Mathei de Gerardo de Vineola mediante quodam rivulo comuni; a tertia parte tenent magister Nicolaus de Amelino, heredes quondam Ricardi de Rao et est flumen magnum dicte terre Potentie; a quarta parte tenent heredes quondam Nicolaus de Offiza et si qui alii sunt confines. Item medietatem unius petie terre pro indiviso cum eadem venditrice, cum nucibus existentibus in dicta terra, sitam in dicto tenimento in contrata Tantu, hiis finibus circumdatam: ab una parte est flumen dictum Thore, a secunda parte tenent abbas Raynaldus et fratres eius mediante limite comuni, a tertia parte tenet notarius Thandiano mediante limite comuni cum ruga, a quarta parte tenent heredes quondam domini de Madio et si qui alii sunt confines. Item medietatem unius vinealis cum // (c. 121r) castaneis et malo contiguo dicti vineali, pro indiviso cum dicta venditrice, sitam in dicto tenimento in contrata Cicinelli, hiis finibus circumdatam: ab una parte tenent heredes quondam Manfredi de Offiza mediante limite comuni cum sepa; a duabus aliis partibus tenet Bartholomeus de Automundo et si qui alii sunt confines. Has autem medietates predictarum terrarum et vinealis qualiter sunt prescriptis finibus circumdatas per designata latera, una cum omnibus iuribus, accessionibus et ingressionibus suis predicta Ioanna venditrix eidem presbitero Angelo, archipresbitero emptori vendidit et tradidit, ut dictum est, pro unciis quatuor et tharenis quindecim in car(lenis) argenteis, sexaginta per unciam unam quamlibet computatis ponderis generalis; quas quidem uncias quatuor et tarenos quindecim predicta Ioanna fuit confexa et contenta se a dicto presbitero Angelo, archipresbitero Sancti Michaelis emptore recepisse et habuisse nomine pretii supradicti, totum scilicet

pretium venditionis ipsius, renuntians predicta venditrix exceptioni non numerate pecunie, non ponderati et electi argenti ac omni alii iuris et legum auxilio per quod possit dicta confexio seu venditio reccatiarii, legi resissorie que obvenit deceptis ultra dimidiam iusti pretii ac subscriptus tenor possit in aliquo minui vel infringi. Quapropter predicta venditrix dedit et tradidit tam eidem emptori quam heredibus suis liberam, plenariam et omnimodam potestatem tenendi, possidendi, vendendi, donandi, alienandi, permutandi necnon et quocumque modo voluerint alienandi medietatem partis sue terrarum pro indiviso, medietatem unius partium terre pro indiviso cum ea cum medietate nukum existentium // (c. 121v) in eadem et medietatem unius vinealis cum castaneis et malo contiguo dicti vineali, cum omnibus iuribus, accessionibus et ingressionibus suis, promictens insuper dicta venditrix per se suosque heredes eidem emptori, pro se suisque heredibus stipulanti, litem vel controversiam ipsi emptori suisque heredibus unquam tempore non inferre nec inferenti consentire, immo ipsas poxessiones venditas tam in proprietate quam in poxessione ab omni homine legitime defendere, autorizare et disbrigare et predictam venditionem, omnia et singula suprascripta et infrascripta perpetuo firma, rata habere et tenere et non contrafacere vel venire, per se, alium vel alios, aliqua causa vel ingenio, de iure vel de facto, in iudicio vel extra iudicium, sub pena dupli dicte pecunie quantitatis, medietate ipsius pene curie et reliqua medietate dicto emptori vel heredibus suis si secus inde fierit applicanda, me predicto notario puplico pro parte ipsius curie ac dicto emptori pro se suisque heredibus penam ipsam legitime et sollemniter stipulantibus; qua pena soluta vel non, supradicta omnia et singula in suo robore perdurent,

ad hoc Robertus de Pascali Guido de Petragalla, vir ipsius venditricis predictis omnibus presen ius in nos predictos iudicem, notarium et testes subscriptos, nos suos iudicem et notarium in hac parte non esse tanquam in suos cum [sciret ex certa] sua scientia, dicte venditioni consensit, ratificavit et acceptavit. Et ad maiorem cautelam predicta Ioanna venditrix et Robertus vir eius in manibus dicti emptoris ad sancta Dei evangelia corporaliter per eos libro tacto iuraverunt supradicta omnia et singula inperpetuum observare // (c. 122r) et quodlibet premissorum predicta Ioanna facere ab omnibus observari; ceterum inter prefatos contrahentes convenit quod si in presenti instrumento aliqua iuris sollemnitas deficeret, quod emendari et refici valeat dictum instrumentum ad consilium cuiuslibet sapientis, si et quotiens eidem emptori vel heredibus suis fuerit oportunum, enim veritatis substantia non mutata.

1

2

3

4

5

6

7

Così S qui, sotto Cumba, in docc. coevi Carruba

Così S per Lacupensuli

Così S per Lavancis

Così S per Auromundo (da docc. coevi)

Così S per? Cantu

Così S, lacuna

Così S

8

9

10

11

Et taliter ego idem Angelus de Bonopari puplicus
Potentie notarius hoc presens puplicum instrumentum
venditionis de mandato contrahentium predictorum
scripsi, quia predictis omnibus rogatus interfui et meo
solito signo signavi. Quod autem superius in septima
linea ubi legitur «Petri» abrasum et emendatum est per
manus mei qui supra notarii non vitio, sed errore, unde
pro autentico habeatur, unde ut supra. (SN) Ego Girardus
de Cumba iudex civitatis Potentie qui supra Ego
Matheus de Stampis miles civitatis Potentie conestabulus
testis interfui Ego abbas Raynaldus de Aprutio interfui
Ego presbiter Nicolaus Terrallus interfui

12

13

Così S per retractari

Così S per subvenit

Così S per huius scripti

Così S per consentiens primo

Così S qui, sopra Camiba, in docc. coevi Carruba

Così S per Tarallus (da docc. coevi)